

2. In causis etiam Resignationis, et Permutationis quam cautissime incedendum est: neque enim hæc legitime constituendæ pensionis causæ sunt, nisi necessitatis, aut utilitatis Ecclesiæ intuitu id fiat; omnisque lucri, alteriusve commodi temporalis prætextus præcidendus est: Syn. Oxon. *Can. III.* Non desunt enim, qui beneficium dimittunt, pensione retenta, vel ut ab muneris Ecclesiastici onere Beneficio adnexo se extirpent, ipsius tamen Beneficii redditus participant; vel ut majorem Præbendam obtineant: *Quod quidem* (ait Urbanus III. in Cap. 5. de Rerum permutatione) *honestati est contrarium, et simoniacam proculdubio continet pravitatem.*

3. Illud præterea animo revolvat Pensionarius; num scilicet pensionem instar elemosinæ accipiat; an aliquid inde Ecclesiæ titulatæ detrimentum adferatur; an demum pauperes ex Beneficii redditibus alendi fame pereant, dum ipse nimis laute secum agit? Paucis primigeniam honorum Ecclesiasticorum indolem mente recogitet: scilicet *vota esse fidelium, patrimonia pauperum, animarum redemptionem*: Syn. Vernensis *Can. XII.* Enim verò Fideles suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, et Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, et captivi pro temporum opportunitate redimerentur.

4. Neque ob Papæ hac in re dispensationem immunis erat à culpa Pensionarius, quum justa defuerit causa: tum quia ut docet S. Thomas Secunda Secundæ Quæst. C. art. 1. ad 7. *Quamvis res Ecclesiæ sint ejus, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut domini, et possessoris.* Quare uti docet Card. Tolerus Lib. V. de Instruct. Sacerd. cap. 83. *qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, et ipsorum est considerare, quomodo dederit.* Tum etiã, quod fieri potest, ut pensio justè à Superiore concedatur, quum tamen pensionarius injustè accipit.

5. Tandem in Pensionario æque ac in Beneficiario Clericatus requiritur; atque adeo pensionarius tenetur quotidie Officium B. M. V. recitare: Pius V. in Constit. *Quum sacrosancta* in Bull. R. n. 92. Indeque colligunt Canonistæ Pensionem æque ac Beneficium per contractum matrimonialem extinguì; idque usu servari tradit Gigas de Pensionibus quæst. 51.

X. Demum auctoritatem quod spectat, jure hodierno pensiones non nisi à R. Pontifice imponi posse, passim docent Canonistæ. At non desunt, qui etiam Episcopis, saltem certis in speciebus, eandem vindicant potestatem; quorum sententia usu recepta est. At verò distinguendum inter pensionem à R. Pontifice, et pensionem ab Episcopo impositam. Illa enim ipsi Beneficio, sive Beneficii proventus imponitur; unde videtur quedam Beneficii sectio legibus Ecclesiasticis vetita; at verò hæc non nisi beneficiarium adficiat, cujus morte extinguitur, nec in ejus successorem transfertur: Garcia de Beneficiis P. I. Cap. V. §. 2. Andreas Vallensis de Beneficiis Lib. IV. Tit. 2.

XI. Postremo ex parte ipsius Pensionis plura servanda sunt. 1. Iis tanquam modo Ecclesiis Cathedralibus, et Parochialibus Pensiones imponi possunt, quorum redditus, detracta Pensione summam ducatorum mille, si Cathedrales, et summam ducatorum centum, si Parochiales sint, conficiant: Syn. Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 13.* Quamobrem Curia R. in signaturis pensionum Beneficiis Parochialibus impositarum ex stylo hanc adnectit clausulam: *Dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum ducati liberi pro illius Rectore pro tempore existente annuatim remaneant.*

2. Summam ducatorum centum ex fructibus certis computandam, haud verò incertis: naturam enim alimentorum sapiant, *nec venter debet pendere ab incerto*: Pirrhus Conradus Lib. V. cap. 1.

3. Beneficiis Jurispatronatus laicalis Pensionis onus imponi nequit, nisi Patroni accedat consensus; quod de Beneficiis Jurispatronatus mixti etiam intelligendum esse consentiunt Canonistæ post Glossam in *Cap. unic. de Jurepatr. in VI.*

4. Licet olim Pensionis quantitas definita non fuerit; tamen usu hodierno ad tertiam proventuum Beneficii partem restricta videtur: verum aliquando in Beneficiis simplicibus ex stylo R. Curie ad medietatem usque etiam admittitur: quod tamen ita intelligendum, ut Beneficiarius congrua portione non fraudetur.

5. Demum Pensionem certis tantummodo Beneficii redditibus imponendam, haud verò distributionibus, docent Canonistæ, et stylus Curie R. observat, nisi aliter ex gratia sanciat, quo casu expresse in signatura additur Clausula: *Etiã si in solis distributionibus &c.*

## CAPUT VIGESSIMUM TERTIUM.

## DE COLLATIONE.

I. Triplex potissimum jure Canonico agnoscitur via, qua Beneficium quis consequi potest; nimirum *Collatio, Institutio, Electio.* De Electione satis Lib. I. Tit. XIX. de Institutione mox titulo sequenti sermo redibit: de Collatione sic proprie dicta hoc titulo dicere adgredimur.

II. Æque Collationis, ac Institutionis vocabula veteribus ignota. Quum enim antiquitus nemo ordinari consueverit, qui simul et alicui Ecclesiæ non addiceretur, et jus non acquireret ex ejusdem Ecclesiæ redditibus vitam transigendi; hinc satis erat Ordinationis vocabulum, quo uno et Ordinis Collatio, et Ministerii addictio, et Beneficii, sive juris redditus Ecclesiasticos percipiendi traditio significaretur. Quum verò ab Ordinatione Beneficii traditio sejuncta est, *Collationis* nomen usurpari cœpit; quod quidem late sumtum omnem, et quamcunque Beneficii concessionem indicat, stricte verò ea tantummodo denotat, quæ in Beneficii fit liberis, quæ scilicet à Collatore proprio jure conferuntur; in quo ab Institutione distinguitur, quæ beneficia jurispatronatus respicit.

III. Olim Beneficiorum collatio ad solum spectabat Episcopum, æque ac Ordines conferre solius Episcopi jus erat: Conc. Lateranense I. *Can. III. et VII. Secundum Apostolorum Canones omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Praepositus, vel Decanus animarum curam, vel præbendas Ecclesiæ sine judicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat.* Et Alexander III. *Cap. 3. de Institutionibus* decernit, evellendam radicibus pravam consuetudinem, *quod Clerici Ecclesiastica Beneficia sine consensu Episcopi Diocesis, vel Officialium suorum, qui hoc de jure possunt, recipiant: minus quod decet cogitantes, quomodo id a Sanctorum Patrum est institutionibus alienum.* Recte duabus hisce Ecclesiasticis sanctionibus antiqui Canones, et sanctorum Patrum institutiones memorantur; jam inde enim ab Apostolorum ævo illa semper in Ecclesia viguit consuetudo, veterum Conciliorum Canonibus firmata, ut omnes Diocesanos Ecclesiæ cum suis redditibus, decimis, oblationibus, aliisque quibuscunque juribus in Episcopi essent potestate: Conc. Antiochenum *Can. XXIV.* Aurelianense I. *Can. XVII.* Cabilonense I. *Can. XLII.* Moguntinum an. 813. *Can. VIII.* Turonense *Can. XVI.* &c. (\*\*)

His omnibus praevit aetate, et sententiae dignitate Syn. Tolet. IV. *Can. XXXIII.* alias *XXXII.* ita constituens: *Noverint conditores Basilicarum, in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.* (\*) (1)

IV. Jam verò deinde alii etiam emergerunt inferiores Beneficiorum Collatores, et quidem vel ab Apostolicae Sedis privilegio, sive indulto speciatim concesso: *Can. I. Caus. 16. Q. II.* vel ab inveterata consuetudine: *Cap. 6. de Institut.* vel ab expressa voluntate fundatorum constituta à se Beneficia patronatui subjicientium: *Cap. 25. de Jurepatronatus.* Papa quoque quumprimis, uti mox videbimus, bene multorum Beneficiorum collationes sibi reservavit. Porro quum ex dispositione juris communis, ac primigenio Ecclesiae usu Episcopus, tanquam Ordinarius habeatur omnium suae Dioceseos Beneficiorum collator, hinc nisi certo constet, vel de reservatione Pontificia, vel de jure conferendi alteri concesso, libere illa Episcopus potest conferre.

V. Episcopi olim, uti Ecclesiastica quaevis negotia tractare: *sup. Lib. I. Tit. V.* ita et Beneficia conferre vetabantur sine Presbyterii, vel saltem Capituli suae Ecclesiae suffragio: *Cap. 4. de His, quae fiunt a Prael. sine cons. Cap.* Verum deinde antiquissima haec Episcopi, et Capituli conjunctio discissa est, et quidem non sine gravi antiquae disciplinae inflicto vulnere. Quae igitur Capitula nostra aetate beneficia conferunt, hac praerogativa non generali, communique, at speciali duntaxat jure fruuntur, neque omnia eodem, parique modo, sed vario pro variis locorum statutis, privilegiis vel consuetudinibus; scilicet, vel communem cum Episcopis, vel privatam, ut ajunt, sine ullo Episcopi suffragio Beneficia conferendi potestatem habent. Hoc in Regno Capitulum Neap. nonnulla Beneficia intra Basilicam S. Restitutae fundata, quae de mensa Capituli dicuntur, confert Archiepiscopo inconsulto; cetera in universa Diocesi Archiepiscopus solus impartitur. Tum Canonicatus Cathedralis Ecclesiae Praebendatos, sive Cardinales, aequae Presbyterales, ac Diaconales confert Archiepiscopus solus, ceteros verò Archiepiscopus simul, et Capitulum. Etiam Trivicanum Capitulum in Canonicatibus, et Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis sine Episcopi suffragio instituit, reliqua Dioceseos Beneficia solus confert Episcopus. Eodem jure fruitur quoque Capitulum Beneventanum, eodem et alia Italiae Capitula, uti Novariense, Patavinum, Brixianse: *Gagliardus ibid. Cap. VIII. n. 4.* Hinc autem excipe Canonicorum Pœnitentiarii, et Theologi Praebendas, quas praevio examine solus confert Episcopus: Syn. Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 8.* Benedictus XIII. in *Constit. Pastoralis XIV.* (\*\*) Quum omnium omnino Beneficiorum, et Praebendarum Patronatus, qui peculiaris non sit, ad Regem nostrum pertineat, ea quae in quatuor exceptis ordinariis mensibus vacare contigerint, nunc ab Episcopo, nunc à Capitulo, nunc etiam ab utroque simul pro diversis Ecclesiarum consuetudinibus, privilegiis, et compromissis, vel pactis confirmatis conferuntur. Praebendae vero, quae *de Officio* vocantur, videlicet, Pœnitentiaria, Magistralis, Lectoralis, et Doctoralis, ab Episcopo simul cum Capitulo, publico praecedente concursu conferuntur, ex Concord. an. 1753. *Art. II.* quin hujusmodi confirmandis Collationibus necessariae sint Bullae sub sigillo Plumbi, quae antea solebant expediri: Benedictus XIV. in *Declarat. Concord. sub die 10. Septemb. an. 1753.* (\*) De potestate Vicarii Generalis in Beneficiis conferendis, tum et Capituli, Sede Episcopali vacante, jam satis suo loco *Lib. I. Tit. XXV. et XXVII.*

(1) *Ll. 12, 13, 14 et 15, tit. 10. Part. 1.*

VI. Formam Collationis quod spectat, profecto ambigendum non est, jure communi inspecto, beneficia solo verbo conferri posse, neque ullam requiri scripturam. Verum ad avertendas fraudes, hac in re non infrequentes, mos inductus est, ut collationes fieri, aut probari nequeant, sine litteris. Unde hodierna Tribunalium Ecclesiasticorum praxis neminem in possessionem Beneficii, vi factae collationis, admittit, nisi litteris, quas *Patentes* vocant, expeditis, et exhibitis. (1)

VII. In expediendis hisce litteris, quarum formulam habes apud Barbosam in *Append. ad Tract. de Offic. Episc. Formula 67.* plura observanda occurrunt. 1. Collatio per Ordinarios semper ita exponatur, ut videatur facta *motu proprio*; scilicet omissa cujuscunque pro obtinendo Beneficio praeviae petitionis mentione. Et sanè Beneficia petentibus conferri Ecclesiasticae disciplinae parum congruit, quae omnem hac in re ambitum reprobant.

2. Debet etiam explicari, quomodo pacto Beneficium vacaverit; neque id pro expresso haberi potest.

3. Indicanda etiam sunt nomina, tum loci Dioceseos, ubi Beneficium constitutum est, tum Sancti Titularis Ecclesiae, cui Beneficium adjacet, tum et Beneficarii, cujus obitu, vel resignatione beneficium vacaverit.

4. Adscribantur quoque oportet duo saltem testes, qui ipsi interfuerint collationi; tum et Secretarius, vel Notarius, qui litteris collationis subscribat, eisdemque publicam impartiat fidem. (\*\*) Syn. Vallis-olet. *Cap. X.* cupiens obviam ire fraudibus, quae sub clandestinis collationibus peragi consueverant, has duxit instituere sollemnitates, nimirum, ut *Collatio fiat in Capitulo, vel coram Notario publico, aut testibus fidedignis, vel cum patenti ipsius Praelati Littera, vel alterius seu aliorum quorumcunque ad quos Beneficiorum spectat, vel spectare debet dicta Collatio, praesentibus testibus in Littera ipsa Collationis insertis, per quae probari possit Collatio, deque ea nullatenus dubitari. Alias volumus, quod Collatio ipsa nullius obtineat roboris firmitatem.* (\*)

5. Adhaec subjungendum est, quo anno, mense, et die collatio perfecta sit. Id quod pluribus, quae dein emergere possunt, explicandis difficultatibus, oppido necessarium est: scilicet ad dignoscendum, num Collatio intra tempus à jure praescriptum facta sit, num Papa Ordinarii Collationem praevenerit, vel ne, quoniam prius expedita fuerit, ubi duabus ejusdem beneficii diversis personis concurrentibus collationibus, de earundem prioritatem quaeratur. Illud hic obiter notandum, quod si duplex ejusdem Beneficii occurrat facta Collatio, is praefendus, qui possessionem nactus jam sit, licet unus à Papa, alter ab Ordinario litteras acceperit: *Cap. 31. de Praebendis in VI. quia potior est conditio possidentis.* Sin autem neuter sit in possessione, eum praeferi, cui Sedes Apostolica, vel Legatus contulerit, decernitur ibid. *propter conferentis amplioem praerogativam:* Consulendus hic Rebuffus in *Tractatu De pacifica possessione,* et Gonzalez *ad Regulam VIII. Canc. §. 3. praemiali.*

(\*\*) 6. Denique in Beneficiorum collationibus id maximè cavendum est, ut simoniae labis, vel suspicio procul abigatur. Qua de re praef. Syn. Vallis-olet. *Cap. XX.* ita constituit: *Gratia si non gratis datur, et recipitur, gratia non est. Igitur... jubemus ne Episcopus, vel quisvis alius ad quem Beneficii collatio pertinet, ratione collationis Beneficii, aut Cancellariae, seu alio quocunque quaesito colore aliquid praesumant per se, nec per aliud exigere, recipere, seu etiam retinere; idque sub poena privationis à Collatione Beneficiorum per sex menses, ita*

(1) *L. 19 ipsius tit. et Part.*

ut Collationis jus ad Superiorem pro tunc devolvatur. Consonat Syn. Compostel. an. 1565. *Act. III. Decr. 8 et 9*, et Tolet. an. 1582. *Act. II. Decr. 8.* (\*)

VIII. Tempus collationibus præfinitum Episcopo, aliisque inferioribus Collatoribus sunt sex menses, à die scientiæ vacationis computandi: *Cap. 5. de Conces. Præbend. &c.* quibus elapsis, si collatio pertinebat ad Capitulum devolvitur ad Episcopum, si ad Episcopum pertinebat devolvitur ad Capitulum, et utrisque negligentibus, ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem, à Primatem ad Papam: *Cap. 2. ibid.* Papæ verò conferendorum Beneficiorum nullum tempus est præfinitum; at excipe Beneficia reservata reservatione clausa in Corpore juris, quæ si Pontifex intra mensem à die vacationis non contulerit, integrum erit proprio Episcopo ea conferre: *Cap. 3. de Præbendis, et Dignitatibus in VI.* licet id stylus R. Curie non ferat. Quod si de Episcopatibus, et Abbatibus agatur, tempus ad conferendum præfinitum est trium mensium: *Cap. 41. de Electione*; quamvis si collatio in virum idoneum ceciderit, etiam post tempus toleratur: *Cap. 4. de Suppl. neglig. Prælat.*

IX. Beneficia nonnisi Clericis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, conferenda: et quidem æque ex veteri, ac ex nova Ecclesiæ disciplina laici à Beneficiis Ecclesiasticis arcendi. Ad rem Concilium Turon. Can. 1. et seq. *Ministerium, aut Beneficium nonnisi Clericos habere Sanctorum Patrum sancivit auctoritas*; similia habent *Can. III. et XVIII. Caus. 16. Q. VII.* Verùm negandum non est aliquando laicis peregrinis, aut inopibus beneficia, vel potius temporales beneficiorum redditus fuisse assignatos, at sine ullo spiritali jure, aut ministerio: ut erant agri, vineæ, et mancipia, quæ precario duntaxat nomine, scilicet ad usum, concedebantur. (\*\*). Ad rem Syn. Tolet. III. Can. III. *Peregrinorum, vel Clericorum, et egenorum necessitati, salvo jure Ecclesiæ præstare permittantur, pro tempore quo potuerint.* Eadem habet Tolet. IV. *Can. XXXVIII.* alias *XXXVII.* (\*) Porrò veniunt eadem Nobilibus adtribui; quippe quod faciè esset ab inopibus, difficilè à nobilibus eadem repetere: VII. Syn. Gen. *Can. XII.* Thomass. *P. III. Lib. II. cap. 19.* Tum ex lege foundationis, adsensu Pontificio firmata, potest laico patrono præbenda, vel dignitas Ecclesiastica reservari: ut in Regno Neap. prima Thesaurarii dignitas, Præbendaque canonialis Regiæ Ecclesiæ S. Nicolai Bariensis à Carolo II. Andeg. sibi suisque in Regno successoribus reservata est. (\*\*). In Regno Hispano Præbendæ duæ, Toletana scilicet, et Legionensis Regi nostro reservatæ sunt. (\*) Præterea ad beneficia Jurispatr. Ecclesiastici, vel laicalis etiam laicis præsentari rectè poterit, qui tamen Clericatum consequatur intra sex menses, si ab Ecclesiastico; intra quatuor, si à laico patrono præsentatus fuerit. Quod si spatio elapso præsentatus adhuc Clericus non erit, irrita erit præsentatio.

X. In Regno Neap. ex novissimo Concordatorum jure, quum quis vel ex lege foundationis, vel ex patronorum præsentatione jus habere contendat ad aliquod vacans beneficium, is, licet laicus dummodo testimoniales quod ad scientiam, et quod ad bonos mores Ordinarii sui litteras exhibeat, rectè etiam cum Clerico præsentato in tribunali Ecclesiastico jura sua experietur: at verò si lis ei bene cesserit, ipse quamprimum tonsura initiatur, ut deindè in beneficio institui, canonicamque ejusdem possessionem consequi possit. Igitur in beneficio litigioso nulla spatii quatuor, vel sex mensium ratio habenda: Concord. an. 1741. *Cap. IV. n. 6.*

XI. Nonnisi Clericis Beneficia conferenda statuimus, qui tamen nullo canonico impedimento obnoxii sint. Porrò canonico impedimento irretiti censentur. 1. nati ex injustis nuptiis; at his potest Episcopus minorum Ordinum, et Simplicium Beneficiorum veniam dare.

2. Filii hæreticorum, iisdemque læventium ad secundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum; ubi tamen parentes in hæresi decesserint: *Cap. 15. de Hæreticis in VI.*

3. Conjugati, bigami, irregulares, quippe qui ex Canonum præscripto ab Ordinibus arcentur.

4. Simoniaci, uti suo loco explicabimus.

5. Excommunicatione, aliave censura obnoxii, donec ejus vinculo expellantur: *Cap. 26. de Rescriptis, Cap. 7. de Cler. excomm. deposit, vel interdict. ministr.*

6. Cæci, et qui horas Canonicas recitare non valent.

7. Criminosi generatim omnes. Sunt enim enormia quædam crimina, quæ privationis beneficii pœnam, vel statim ipso jure, vel duntaxat post latam à Judice sententiam incurrendam, adjunctam habent; de quibus *Lib. III.*

8. Qui legitimam ætatem non habent; nempe minores annorum 14. si de Simplicibus; si verò de Dignitatibus, Præbendis, Canonicatibus, aliisque Beneficiis agatur, quæ adnexum habent ordinem sacrum, qui eo ordine neque initiati sunt, neque infra annum initiari valent: *Cap. 7. §. 2. de Elect. Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 12.* Præterea ad Dignitates Curatas, et ad Parochias nemo adsumendus, nisi qui saltem 25. ætatis suæ annum attigerit: *Trident. ibid.*

(\*\*) 9. Demum in Hispaniarum Regno Hispanis tantum Beneficia conferenda sunt: *Leg. XVIII. XIX. XX. et XXV. Tit. III. Lib. I. Nov. Recop.* nisi quem optime de Hispania meritum, singulari Hispani juris privilegio Reges nostri decorare voluerint. Id quod etiam obtinet in Beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis ex Constit. Benedicti XIV. in *Confirm. Concord. sub die 9. Julii an. 1753.* Tum in aliquibus Hispaniarum Ecclesiis moribus inductum est, ut nonnisi avis christianis progeniti ad Præbendarum possessionem admittantur, ejus inquisitio ipsius Præsentati expensis perficitur. Aliter tamen sentire visi sunt Syn. Tolet. IV. *Patres Can. LXI.* alias *LX.* ea adducti ratione ex *Ezech. Cap. XVIII.* de prompta, quod *Filius non portabit iniquitatem patris.* (\*)

XII. Duo hic tantummodo supersunt animadvertenda: I. Sanctionem Tridentinam de ætate quatuordecim annorum ad obtinenda beneficia, ex praxi jam innotita, de beneficiis tantummodo post Tridentinum, non verò ante ejusdem Synodi tempora constitutis, intelligendam.

2. Jure novissimo Neap. Concord. an. 1741. *Cap. IV. art. 3. et 5.* pro prima clericali tonsura, ideoque et pro beneficiis obtinendis ætas requiritur quatuordecim annorum saltem inceptorum: excipiuntur tamen arctati, scilicet, qui vel lege foundationis ad beneficia vocantur, vel à consanguineis suis activum patronatum habentibus præsentantur. Igitur beneficiarii arctati censentur, tum qui activo, tum qui passivo ad beneficia obtinenda jurepatronatus vocantur. (\*\*). Jure Hispano Deeret. *Trident. Sess. XXIII. Ref. cap. 6.* quoad ætatem quatuordecim annorum ad obtinenda Beneficia confirmatum est *Art. IV. Concord. an. 1737.* (\*)

XIII. Sunt etiam nonnulli, qui licet non arceantur ab omnibus, à certis tamen arcentur beneficiorum speciebus: hujusmodi sunt filii, quibus *immediate* Patri in beneficio succedere vetitum est: *Cap. 3. de Filiis Presbyterorum*: Id quod de omnibus omninò filiis æque illegitimis, ac legitimis, scilicet ante Sacerdotium progenitis, ex veteri Canonistarum sententia intelligendum: Gonzalez *ad Cap. 17. ejusdem tit.* Filii verò illegitimi, licet impetrata Pontificis venia beneficiorum capaces evadant, attamen beneficium in ea Ecclesia consequi vetantur, in qua Pater adhuc est Beneficiarius: *Cap. 15. cum seq. eod. tit.* tum et vicariam perpetuam in ea sacra æde, in qua proximè ante ipsos Pater habuerit personatum: *Cap. 13.*

*ibid.* Et generatim Synod. Trident. de filiis illegitimis Clericorum sic sanxit: *Ut paterna incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere:* Sess. XXV. Ref. cap. 15. Porro ad nepotem legitimum ex illegitimo filio natum Trident. decretum haud extendendum et ratio suadet, et pluries S. Congreg. respondit apud Benedictum XIV. *de Synod. Diæces. Lib. XIII. cap. 24.* ubi sapientissimus Pontifex plures hac de re explicat quæstiones.

XIV. Jam verò satis non est canonicis expeditum esse impedimentis, qui ad beneficia adspirat, sed moribus, conversatione, fama, et litteris ita ornatus sit oportet, ut ad obeundum injuncti officii ministerium, et ad utilia Ecclesiæ exhibenda obsequia aptus esse videatur. Unde ex communi Canonistarum sententia digniores prorsus ad Beneficia adsumendi sunt; ii scilicet, qui attentis omnibus adjunctis utiliores Ecclesiæ futuri sperantur.

XV. Sed illud hic quæritur, num beneficia dignis conferri possint, dignioribus posthabitis? Verùm hac in re distinctione opus est inter beneficia curata, et non curata: hæc enim posse idoneis duntaxat conferri, etiam dignioribus omissis, quamplurimum sanè Canonistarum opinio est. Quod tum ex pluribus evincitur, tum vel maximè ex *Cap. 29. de Præbend.* et ex Trident. *Sess. VII. Ref. cap. 3.* Porro sanioris doctrinæ fama clarissimi tum plures ex Canonici Jurisperitis, tum ex Theologica facultate quamplurimi hoc tantummodo ad forum restringunt externum, contententes cum D. Thoma *Secunda Secundæ Q. LXIII. art. 2. ad 3.* quantum ad conscientiam, omninò etiam ad beneficia simplicia, *neesse est eligere meliores, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune,* seligendos. Et sanè digniores omittre præterquamquod plerumque in detrimentum cadit Ecclesiæ, vix, aut ne vix quidem personarum acceptionem adjunctam non habet, tam frequenter in sacris litteris reprobata: *Eccles. XLII. v. 1. Jacobi II. v. 1.* Qua de re Innocentius III. *Cap. unico: Ut Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur* sic respondet Archiep. Mediolanensi: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium, et beneficium in persona magis idonea dispensare.*

XVI. Curata verò Beneficia secundum justitiam internam dignioribus omnino conferenda esse, nullus sanæ mentis dubitat: præsertim quum Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 1.* decreverit Ecclesiis nonnisi digniores præficiendos; tum *cap. 18. ibid.* de Parochi electione hæc habentur: *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit: atque illi, et non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectavit eam conferre.* Denique Tridentini mentem dilucidius explicasse videtur Innocentius XI. proscribendo thesim. n. 47. *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium Primo videtur per hoc Digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumto comparativo pro positivo, vel Secundo locutione minus propria ponit Digniores, ut excludat Indignos, non vero Dignos, vel tandem loquitur Tertio quando fit concursus.*

XVII. Parochiæ itaque, aliaque beneficia, quibus primario animarum cura adnexa est, etiamsi jurispatronatus sint Ecclesiastici, per concursum conferenda

omnino sunt, et quidem ad præscriptum Syn. Trident. *Decreto modo laudato,* quod Pius V. in *Constit. In conferendis,* Sacra Congregatio Concilii jussu Clementis XI. die 10. Jan. an. 1721. et Benedictus XIV. in *Constit. Quum illud* 68. tom. 1. *Bullarii* firmarunt, explicarunt, ampliarentque, data etiam dignioribus, si qui in collatione posthabiti fuerint, facultate adpellandi ab irrationabili judicio Episcopi, et examinatorum ad Metropolitanum, et Sedem Apostolicam; vel si Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum.

XVIII. Illud hic non abs re erit observare, Sedem Apostolicam Parochias ad favorem certæ personæ in manibus R. Pontifici resignatas aliquando resignatario conferre consuevisse in forma *Dignum,* scilicet sine concursu, at tantummodo sub conditione, si idoneus ab Episcopo reperiatur in examine coram Synodalibus examinatoribus habendo. Nostro tamen in regno aliquot al hinc annis hujusmodi Pontificiis parochiarum collationibus regium placitum denegari consuevit: *Gagliard. ibid. n. 27. (\*\*)* In nostro verò Hispan. regno hujusmodi resignationibus locus non est ex *Concord. an. 1753.* Postremo non hic fas est silentio premere, quæ circa Beneficiorum possessiones decrevit Syn. Tolet. an. 1582. *Act. III. Decr. 10. Pro receptione, vel admissione ad alicujus Præbendæ, vel Beneficii possessionem aliquid solvi, quod inter ipsos Ecclesiæ Beneficiatos dividatur, abusus est jam pridem sacris Canonibus, et nuper Sacrosancti Concilii Tridentini decreto damnatus. Eum ubicumque Episcopi agnoverint vigere, aboleri prorsus curent. (\*)*

## CAPUT VIGESSIMUM QUARTUM.

### DE RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS.

I. Nomine reservationis in Jure nostro Jus illud significatur, quo R. Pontifex suæ dispositioni beneficia quædam vacatura reservat, ordinariis collatoribus simul inhibens, quominus vacatione adveniente illa conferant, pœna nullitatis adjecta: *Rebuffus in Praxi Part. I. Tit. de Reservat.* Reservationis quidem, et Adfectio- nis vocabula aliquando promiscua notione usurpata occurrunt: quum verò ex Reservatione profluat Adfectio, hinc quantum causam inter, et effectum, tantum inter unam, et alteram discriminis agnoscunt Canonistæ.

II. Jam verò Reservationes aliæ sunt Speciales, Generales aliæ. Hæc sunt, per quas certum aliquod determinatum beneficium Sedis Apostolicæ arbitrio conferendum adscribitur. Hæc verò sunt, per quas omnium certi alicujus ordinis beneficiorum, vel certi Regni, aut Nationis, Collationes Sedi Apostolicæ reservantur. Reservationibus addesis *Mandata de providendo,* per quæ Papa beneficium ali- quod vacaturum alicui providendum mandabat; unde dicta quoque sunt *Exspectativa;* quod qui hujusmodi mandatum impetraret, habere Exspectativam dice- retur.

III. Tum Exspectatarum, tum Reservationum vix adparent vestigia ante medium sæculum XII. Primus enim Romanorum Pontificum Hadrianus IV. ab Episcopis, et Capitulis Dignitates, vel Præbendas postulasse videtur, quas bene de Ecclesia meritis elargiretur: *Epist. 10. 11. et 12.* At expressius loquitur *Epist. 24.* qua voces *mandamus,* et *precipimus* ab Pontificibus hac in re primum adhi- bita occurrunt; *Universitati vestre, inquit, precipiendo per Apostolica scripta mandamus, et mandando precipimus, quatenus Præposituram, quæ in Parisien-*